MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (PARS II)

Heiligenkreuz, 1183/1200 Seite 160v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30288
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

loquentem. qui ex ore infantium et lactentium perfecit laudem. Aggreditur itaque dolos dolosi filius
delicatus. sed in sanctis habitans non fallitur christus. quibus
dolo dux est semper et pueris. Post dolos quos adhibent dolo-
res. et quos non potuit carnifex lingua conatur
vincere pena. Suspenditur pater cum natis. tor-
tum multis horarum spaciis. verum patientiatur-
tum ipse pro quo se obicere tormentis. Clamant filii
invicte pater valentem tormentis affligi. at gem-
exultat in tribulationibus quas meruit ihesu pro
nomine pati. Interim torquentur parvulorum dul-
cia pignera valentis patris in christo regenera-
tione progenita. et una vox christum ab eis confiten-
tium est audita. Post eis capitali sententia
data. ducti sunt ad locum quos prestolabatur
corona. Exeuntes portam civitatis huiusmodi
prorumpunt in organum vocis. Ex affligentibus enim
nos domine salvasti. et eos qui nos oderunt poten-
tissimus confudisti. Tum mira circa filios extitere
re viscera patris. Gladio namque bicipiti ante
se aggrediuntur percuti infantes. et quos iniscaliter
servavit altimanima pueros habere cupit in
patria. Unum denique ad dexteram. alterum vero ad le-
vam statuit. et quasi ad christum loquens dixit. Ec-
ce ego et pueri mei. quos domine mihi dedisti. Sicque
lictoris eos appetens mucro coronati sunt
martyrio felici. Novissime valens valenter
accedens ipse quoque decollatus est gaudens

B. xi. K. Junii. Prologus Senesii et Theopompi.
martyrum

Omnipotentis
Dei magnificentia sua vult-
pietate solita. ut sibi dilectorum
suorum servicia atque premia ad
laudem sui nominis mundo pa-
tefacta clarescant. Igitur sancti spiritus
cooperante gratia. qualiter et quando undeque beatis-
simorum martyrum Senesii atque Theopompi corpora
ad nonantule devecta cenobium ducta fue-
rint. et que signa atque miracula eos sint secu-
ta. prout nostra valet fragilitas ad hominum re-
vocemus memoriam. Passio ipsorum.

Anno vero incar-
nationis christi septingentesi-
mo octuagesimo imperii vero
karoli magni septimo. quidam
dux vir deo per omnia devo-
tus. nomine Gevardus sue
salutis consulens. pro anime
sue remedio quandam
ecclesiam ad honorem et ve-
nerationem beatissime virginis Marie ma-
tris dei. sancteque crucis. atque martyris fusce in suo pro-
prio magno cum studio edificaverat. et sancti
Silvestri cenobio nonantulensi subdide-
rat. ibique monachos ut regulariter deo servirent
constituere curaverat. cui omnia que possede-
rat puro atque sincero animo tradere studue-
rat. sui salvatoris preceptum bene et fideliter sequens.
ut eius fieret discipulus qui suis dixit fidelibus. Si
quis non renunciaverit omnibus que possidet. non
potest meus esse discipulus. Tricesimo autem quarto
anno imperii eiusdem karoli. prefati comitis uxor
albegunda nomine. sui viri magnifica vesti-
gia tenens in sua viduitate sanctissima quecumque
habere usui fuerat eidem monasterio tradere
studuit. cui dum vixit caste et fideliter servivit.
ibique cum suo coniuge in domino requievit. Hec autem
ecclesia quam premisimus sita est in quadam insula duo-
bus fluminibus camano et sylo circumdata. tercia
stadiorum parte ab urbe teruisio distans. In qua
ecclesia beatissimorum Senesii et Theopompi corpora
a sanctis viris fuerunt recondita. ibique innumera-
bilia miracula. eorum promerente gratia. dei nostri clemen-
tia ostendere dignata fuerat. Post multorum vero
annorum curricula. gens hunorum perfida servien-
tibus deo invida. plurimas italie devastans
provincias hunc sanctissimum locum peccatis ingru-
entibus funditus destruxit. Huius doloris fama
percurrens ad nonantulam ubi sanctissimi Sylve-
stri corpus requiescit sub cuius potestate et fi-
ducia post deum hoc monasterium semper fuerat
petro venerabili eiusdem loci abbati. hoc magnum
nefas denunciavit. Abbas vero tali legatione
mestus. tamen de dei mirificentia bene confisus. cunc-
torum fratrum cetu advocato dignum et salubre in-
venit consilium. Unum itaque advocans alumnum
deo dignum monachum nomine rudolfum cui tres
venerabiles sociavit fratres. et magna cum festina-
tione ad hunc recuperandum locum transmisit.
cui et attentissime iussit. ut cum omni sollicitudi-
ne atque veneratione dignissima sanctorum Senesii
et Theopompi corpora colligere studeret. atque omni
cum festinatione ad nonantulanum cenobium
ea inventa deferret. Hoc autem onus obediencie
magno cum gaudio suscipiens. prout deo placuit
totum fideliter adimplevit. Cum vero idem prepositus ve-
nerabilis videlicet rudolfus ad hunc sanctissimum
locum venisset. et eum undique dirutum repperisset.
flens et dolens pre nimia tristicia per tres dies ni-
chil locutus est. neque ullum omnino cibum sump-
sit. Ad quem ita flentem quedam mulier dei ancilla
Anserada nomine que sua ab infancia predic-
torum sanctissima corpora multum dilexerat et custo-
dierat. tunc quoque eadem in secreto loco collecta
et recondita habebat cum tremore et timore ve-
niens. omnis tristicie nebulas auferens. mag-
ni gaudii donum secum detulit. senior inquiens
dilecte noli flere. sed magis mecum gaude.